

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Heinrich Andreas Mittag

**Specimen Inavgvrale De Solvtione, Qvae Fit Ab Eo, Qvi Ex Plvribvs Cavsis
Debitor Alterivs Existit**

Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCCLXXXXV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1795

Mittag, Joh. Henr. Andr.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002553687/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002553687/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002553687/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687/phys_0004)

DFG

65

SPECIMEN IN AVGVRALE

D E

SOLVTIONE, QVAE FIT AB EO,
QVI EX PLVRIBVS CAVSIS DEBITOR
ALTERIVS EXISTIT.

QVOD

PRO IMPETRANDIS HONORIEVS DOCTORALIBVS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PUBLICO EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES HEINRICVS ANDREAS MITTAG

PARCHIMO - MEGAPOLITANVS.

— · —

ROSTOCHII LITTERIS ADLERIANIS

MDCCLXXXV.

SCENAE INVAGAVTE
DE
SOLVATIONE GAVE FIT AB EO.
QVI EX PLURIBVS CASI DEBITIONE
ALTERIAS EXISTIT.

640

HO IMPERIAVS ROMANVS DOCTORIUM
IN ACADEMIA ROSTOCHENSIS

PARTICIO EXAMINI SUBMITTIT

ACTOR

JOANNES HEINRICVS VNDREAS MITTAG

PARCIMONIA - CAGITATIO

SAO

LITERATUR

—

ROSTOCCHI LITTERIS ADHERENS
MDCCCLXXXVII.

S E R E N I S S I M O
P R I N C I P I H E R E D I T A R I O
A C
D O M I N O
D O M I N O F R I D E R I C O L V D O V I C O

D U C I , M E C K L E N B U R G E N S I

P R I N C I P I V E N E T O R V M , S V E R I N I E T R A C E B U R G I

C O M I T I S V E R I N E N S I

T E R R A R V M R O S T O C H I I E T S T A R G A R D I A E

D Y N A S T A E

P R I N C I P I A C D O M I N O
S V O
C L E M E N T I S S I M O

Subiectissimus

I. H. A. MITTAG.

In materia de solutionibus plures obveniunt quaestiones practicae per magni momenti, inter quas sine dubio haud infimum locum occupare meretur illa, quae respicit debitorem alteri ob diversa debita ex pluribus causis obligatum. Tractarunt quidem eandem nonnulli, attamen plerumque generaliora tantum suppeditant, et in recensendis casibus per leges distinctis subsistunt. Quare mihi, thema aliquod inaugurate, quod scribendum erat, eligenti non omnino a proposito alienum visum fuit, illam paulo uberiorius, pro viribus meis, explanare et controversias quasdam, quae hic moveri solent, accuratius determinare. Haud raro enim magna inter debitorem et creditorem, vel etiam heredes utriusque oritur controversia, in quam causam solutum sit, quod datur a debitore; mox de eo disputatio instituitur, sitne apud debitorem, an penes creditorem facultas hoc determinandi, seu ius electionis; mox autem controversum manet, quaenam causa in casu obvio gravior sit dicenda. Ad utrumque mihi in sequentibus respiciendum erit.

Casus, quem in praesentiarum tracto, longe diversus est ab illo, ubi debitum unum idemque a debitore solvendum existit, quod forte usurarium est, ideoque partim fortem principalem, partim usuras continet. Tunc enim neutquam quaesito, in quam causam creditor id, quod solvit, accipere debeat, moveri poterit. Partim enim plures a se invicem diversae causae non adsunt; partim autem parti-

§. I.

cularis solutio huiusmodi debiti regulariter fieri nequit, sed ob plura, quae secum coniuncta habet incomoda reprobatur, et iure suo a creditore recusatur; quare tale debitum, una solutione facta, totum est extinctum. Sed fingamus, adesse casum, quo ex ratione graviori vel specialiter a legē approbatā, vel denique ex ipso consensu creditoris permittitur debitori, parteni debiti modo solvere; semper tamen et ubique certum indubitatum erit, quodnam sit illud debitum, cuius particularis facta est solutio. Unicum, quod in tali casu attendendum foret, concernit usuras, quae forte etiam intuitu huiusmodi debiti tempore solutionis ex parte solum praefitiae residue sunt. Quaeri enim posset ratione illarum, num id, quod a debitorē est solutum, nec totum exhaustit debitum, prius in sortem, an potius in usuras computandum sit.

Primo intuitu responsio ad hanc quaestionem difficilis videtur. Ad commodum creditoris si respiciatur, id, quod simpliciter est solutum, in usuras computandum foret; si vero utilitas debitoris attendi debeat, res se inversa ratione habebit. Difficultatem verba manifesta legum tollunt, quae disponunt: omne quod solvitur, prius in usuras, et deinde, quod super fuerit, in sortem accepto ferendum esse. a) Neque audiendus est debitor, qui in ipso actu solutionis factae forsitan addit, se malle solutum pro forte, quam pro usuris. Omnia potius arbitrio creditoris relinquenda sunt, qui expresse quidem sortis solutionem usuris praeferre valet, attamen contra suam voluntatem tale quid ipsi obtrudendum non erit. Dummodo, id quod ubique

a) L. 5. §. 2. et 3. de solut. et liberat. L. 1. C. eod. L. 22. C. de usur.

hic supponitur, usuras peti possint, et liquidae sint. Immo solutio facta, prius in usuras, quam in sortem, eo quoque in casu imputanda est, etiamsi creditor dixerit, se tam in sortem, quam in usuras accipere velie. Ulpianus b) enim ad quaestionem propositam: *si quis ita caverit debitori, in sortem et usuras se accipere, utrum pro rata et sorti et usuris decedat, an vero prius in usuras, et si quid supereft in sortem, respondet: ego non dubito, quin haec cautio in sortem et in usuras, prius usuras admittat, tunc deinde, si quid supersuerit, in sortem cedat.* Cuius quidem dispositionis ratio haud inepit ex lege, mox subsequenti c) repetenda videtur, quae inculcat, non ordinem scripturae spectari, sed potius ex iure sumi debere id, quod agi videtur.

§. 3.

Haec legis decisio clara satis est, at nihilominus tamen plures tanquam analogiae iuris contraria offendit; quare mox hanc, mox aliam rationem pro defendenda hac legali determinatione, allegare solent Doctores; at nulla hactenus inveniri potuit, quae omnibus arideret, aut pro satis sufficiente haberetur. Diversas ab aliis expositas rationes sub examen vocavit Hartmannus Pistor. d) Vir acutissimi ingenii. Plura habet, quae sententiis aliorum opponit, et tandem, cum eius hac de re ferendum esset iudicium, addit: *qualiscunque tandem eius sit ratio; quia tamen verba satis sunt manifesta, in illis acquiescendum omnino est: non enim omnium, quae iure nostro*

tradita

b) L. 5. §. 3. de solut. et liberat.

c) L. 6. de solut. et liberat.

d) Lib. III. quaest. 21. num. 25. seq.

tradita sunt, exacta potest dari ratio. In eo quidem me facile consentientem habet Vir laude mea longe maior, duriorem esse causam fortis, quam usurarum, ideoque diffiteri neminem posse, Jureconsultos in hac materia deseruisse principium, quod in debitis aequo principalibus fecuti sunt. Id quoque largior, fallere plurimas hic allegari solitas rationes, vel saltem non satis adaequatas esse. Huc refero, quod a multis urgeri solet, odium debitoris, qui passus est, sua mora currere usuras: dantur scilicet plures, quibus obligatio usurarum praestandarum non ex mora, sed vi stipulationis incumbit; pariter non generaliter stringit; quod alii pro ratione sat sufficiente dispositionis legalis allegant, usuras, soluta forte amplius peti non posse. Attamen ingenue fateor, me huic effato huius Viti doctissimi calculum meum adiicere non posse; et paucis, quae contra sentienti mihi se obtulerunt, exponam.

§. 4.

Genuina et primaria ratio huius a Jureconsultis Romanis factae dispositionis, quantum ego quidem sentio, in ipsa natura debiti usurrii, quaerenda est. Quoties huiusmodi debitum contrahitur, iuxta indolem eiusdem id inter partes agitur, ut usurae manente sorte solvantur. Hoc quod a partibus initum est pactum, invito creditore, non immutari potest a debitore, sed potius secundum illum ordinem solutio facta semper praesumitur. Expeditum hinc redditur, cur debitoris favor et commodum, quod alias in hac materia Jureconsulti potissimum attenderunt, hic negligatur: ipsa enim indoles atque natura rei obstabat. Haec ratio, eaque unica, quantum ego quidem video, satis adaequata, et ubique applicanda est. Nec ideo eadem

suspecta

suspecta dici meretur, quod Doctorum quidam, ex quorum numero quoque est supra nominatus Hartm. Pistor, sibi aliisque persuadere cupiunt, creditores cogi posse ad acceptationem totius sortis sine usuris. Probationem huius asserti in L. 21. C. de usur. invenisse putant, argumentum a contrario inde desumentes; sed, si quid video, minus recte. Verba legis sunt, *si usuras praeslari, pignore dato convernerat, et in continenti, numeratione facta, postea vel ante, propter quod debitum solutionem feceras non designasti: habuit creditor in usuras tibi accepto ferenda solutae quantitatis facultatem.* Ex quibus nil amplius derivari poterit, quam solutos nummos non in usuras, sed in sortem potius computandos esse a creditore, dummodo ita inter eum et debitorem suum tempestive convenerit. Hac ratione omnino quilibet creditor sibi praejudicare potest, et favori pro se introducto renuntiare. Invitus contra nunquam cogi potest creditor. Quam fortissime atque luculentissime hoc exinde confirmatur, quod sortem sine usuris nemo accipere teneatur, potius huiusmodi particularem solutionem quilibet iure suo declinare valeat. Quae cum ita sint, certe maxime iniquum foret, contra voluntatem creditoris, omissis usuris, in sortem imputationem fieri. Scio quidem a secus sentientibus hoc quoque urgeri, ipsius sortis solutionem vel depositiōnem particularem non quidem admittendam esse, litem vero adhuc sub iudice esse, debitorne sortem absque usuris solvere queat; et creditor illam accipere obligatus sit, licet contradixerit. Legem e) pro

se

e) L. 102. §. 1. D. de solut. cuius verba hic apponere iuvat. *Quum de sorte debita constaret, de usura litigatum esset, novissime ex appell.*

B

se allegant, quae continet decisionem Jureconsulti Scaevolae, qui ad quaestionem sibi propositam: *pecunia data utrum usuris cedere deberet, an vero sorti proficeret?* respondet, *si, qui dabat, in sortem se dare dixisset, usuris non debere proficere.* Non negaverim, sententiae dissentientium inde aliquam veri speciem conciliari. Clariora tamen mox omnia redduntur, et dubium obmotum evanescit, ipsa lege integra inspecta et perlustrata. Determinat illa in verbis initialibus statum controversiae, idque satis accurate, dein responsonem ad quaestionem formatam subneicit. Alter nempe exigit sortem una cum usuris, naturaliter quidem, at non civiliter debitibus a debitore, qui primum usuras solverat, dein vero se ad illas solvendas obligatum esse negaverat, repetens simul antea solutas tanquam indebitas. Judicem adeunt, qui litem ita dirimit, *ut usurae solutaे repeti nequeant, at in futurum nullae amplius debeantur.* Hac lata sententia debitor denuo certam solvit sumمام, et quidem simpliciter, quam ille intericto temporis spatio in caussam sortis, creditor autem in usurarum caussam cedere contendunt. Quam quidem litem posteriorem Scaevolae decidit, et pro debitore pronuntiat. Quod Jurisconsulti dictum tantum abest, ut a iuris ratione abhorreat, ut potius eidem optimè conveniat. In casu obvio summa soluta usuris ideo proficere nec poterat, nec debebat, quia illae liquidae non erant, immo non peti poterant. Hinc nec opus fuerat determinatione debitoris in actu solutionis;

appellatione pronuntiatum est, solutas quidem usuras non repeti, in futurum vero non deberi. Quaero, pecunia data utrum usuris cedere deberet, quod petitor defenderet: an vero sorti proficeret? Respondi, si, qui dabat, in sortem se dare dixisset, usuris non debere proficere.

tionis; ipsa potius analogia iuris iam pro illo militabat, nec non praesumtio iuris accedebat, vi cuius debitor forte liquidain, non autem usuras illiquidas, et non exigibles solvisse dicendus est. Paululum aliter dictam legem explicat Mevius f) At ubi, inquit, unum tantum est debitum, ex eo vero sors et usura debetur, tunc quidem integrum est dicere debitori, quod malit solutum pro usuris, quam pro forte; at non aliter id adsequitur, quam id recipiente et consentiente creditore. Uti de hac specie intelligendum est, quod habetur in L. creditor 102. §. 1. ff. de solut. de cuius explicatione alia, ut et conciliatione cum aliis textibus I Cti plures frustra sunt solliciti, dum satis apparet, quod usurarum proficit ibidem solutio ideo fieri, quia sic recipit creditor. Sed, quod pace Viri de iuris prudentia optime meriti dictum sit, ex ipso tenore legis satis evidens est, nunquam in casu, quem lex tractat, creditoris consensum ad fuisse.

§. 5.

Hactenus dicta lucem quandam, ut puto, affundunt quaestioni principaliter in praesentiarum tractandae, ad quam proprius iam accedo. Idem hic supponitur debitor et creditor. Ille ex pluribus caussis plura diversa plane a se invicem debita contraxit, quorum omnium solutio uno eodemque tempore ab illo commode fieri nequit, prout etiam nulla existit lex, quae ipsi hanc duram imponeret necessitatem. Quaedam ergo delere cupiens debita, certam pecuniae summam creditori solvit, qua facta solutione statim emergit quaestio, in quam caussam eadem referri debeat. Rarissime sane in tali casu res inter partes amicabiliter componeretur, cui praecise causae impu-

B 2

tandum

f) P. VII. dec. 211. A. 1. secundum Iov. angl. 1. 1. cap. 11. n. 21.

tandum sit, quod numeratum est, nisi leges praescripsissent regulas accurate hoc determinantes, ita tamen, ut tam creditori liberum sit, non accipere, quam debitori non dare, si quis illorum alio nomine solutum velit. Quae legum praescripta tribus potissimum regulis absolvuntur. Prima est: in solventis arbitrio esse dicere, in quo debitum solutionem cedere velit. Secunda electionem ad creditorem convertit eiusque arbitrio relinquit, cui potissimum debito solutum acceptum ferre cupiat, quoties a debitore solvente nihil hoc nomine est determinatum. Tertia denique continet constituta a legibus, celsante demonstratione utriusque partis, demum observanda. g)

§. 6.

Primae sunt partes debitoris, cui leges in hac materia ita subvenire, et praecavere voluerunt, ne omnino supprimatur. Haec a legibus debitori concessa facultas eligendi prorsus non limitata est. Tum absens, tum praesens, non oretenus solum, sed et per scripturam, quae velit dictare potest, nec creditori permisum est, contradicere, vel liberationem debitoris impedire: dum modo tempestive intentem suam declaraverit. Hoc, quod leges solventi expresse tribuunt, arbitrium, certain legem dicere ei, quod solvit, omnem liberationem creditoris necessario excludit, utrum in eam caussam accipere velit, nec ne. Solvit ille, et quidem iure suo utens, quare sine dubio quoque eiusdem liberatio subsequitur, quam huius dissensus in causa impedire nequit. Cum dictis optime cohaeret, quod in iure nostro h) debitori in genere permittatur, creditorem ad accipiendam solutionem cogere. Consentientes hic omnes fere habeo Doctores, dummodo

g) L. i. D. de solut. L. i. C. eod.

b) L. fin. D. quib. mod. pign. vel hypoth. solvit.

modo creditor accipiat id, quod alter ex causa determinata solvit. Tum enim protestando vel contradicendo nil agere creditor dicitur, potius liberandus est debitor ab ea causa, in quam facta est solutio, licet creditor solutionem recipiens in illam causam expressam consentire nollet. Contra vero plures aliter sentiunt, si creditor intentioni debitoris contradicit, nec accipit pecuniam ipsi realiter oblatam; nullam tunc liberationem debitoris subsequi putant. Hanc recusandi pecuniam ipsi oblatam, creditori ex lege ipsa concessam esse facultatem contendunt *i)* et urgent in primis verba legis: *permittitur ergo creditor constitueri in quod velit solutum.* Sed contrarium verius esse puto, nec concedere possum, recusationem creditoris impedire posse liberationem debitoris, qui suo iure tempestive est usus. Verba legalia, quae ab altera parte citantur, modo allata tractant casum, quo debitor indeterminate solvit, ideoque ius electionis iam in creditorem transit, prouti contextus hoc abunde docet. Eadem erit responsio ad dubium, quod ex verbis L. 2. de solut. desumitur, ubi ita: *ut vel creditor liberum sit non accipere, vel debitori non dare; si alio nomine exsolutum quis eorum velit.* Loquitur lex de diversis temporibus, quibus vel debitori vel creditori ius eligendi competit; neutiquam vero casum tractat, num alter contradicendo alterius electionem impeditre possit. Hoc quidem concedendum est, solventem in hoc casu non propria auctoritate creditorem contradicentem ad accipiendum cogere posse; sed quid inde? Tantum enim abest, ut haec protestatio vel contradictione creditoris solutionem ipsam eiusque primarium effectum, scilicet liberationem tollere queat, ut potius illa

B 3

pro

i) Ita cum pluribus aliis Petrus Müller Diss. de solutione minoris summae in deductionem maioris, vulgo auf Abschlag. Cap. 4. Th. 2.

pro vana et iuri contraria, auctoritate iudicis, pronuntiari debeat. Hinc facta depositione judiciali pecuniae in debitum determinatum solutae, statim liberatio fit debitoris, quum nulla subsit iusta causa contradictionis ex parte adversa, quae hoc dissensu ius alterius aperte laedit, quod ipse legislator eidem concessit. Ceterum Iubens subscribo sententiae Pistoris ^{k)} qui concludit: quod, et si creditor solutionem recipiens in causam a debitore tempore legitimo expressam consentire nollet, nihilominus debitor ea causa liberetur; ac propterea id, quod solutum est, repeti non possit; interim tamen non negari, si quidem potius id quod solutum est, reddere, quam permittere vellet, ut liberatio a causa per debitorem expressa sequatur; debitor etiam pecuniam recipere mallet, quam creditori invito liberationem obtrudere, istud utriusque integrum esse et hac ratione, circumducto solutionis actu, liberationem impedi.

§. 7.

Hoc beneficio legis debitor aliter non frui potest, quam si statim in ipso actu solutionis, vel saltem, hoc iam absoluto, in continentia animum suum declarat, in quam causam solutum sit. Supponunt hoc ubique leges ^{l)} sive de creditore agant, sive de debitore, mox enim volunt, eos constitvere in re praesenti, hoc est statim, atque solutum est; mox vero requirunt, dum in re agenda hoc fiat. Neutiquam enim necessarium est, ante ipsum actum solutionis declarationem debitoris adesse. Primo intuitu hoc quidem verba: *in re agenda* indicare videntur; sed contrarium satis alia loca in legibus obvenientia commonstrant, ex quibus liquido patet, sufficere, si declaratio

statim

^{k)} l. c.

^{l)} L. 1 et 2. de solut.

statim atque solutum est facta fuerit. Perinde ergo est, siue praece-
dat haec determinatio, siue subsequatur electio ex parte debitoris,
dummodo statim hoc fiat, non ex intervallo. Corroborant haec
verba legis *m)* *caeterum postea non permittitur*; prout etiam hoc
analogiae iuris convenit; cum regulariter ea, quae in continenti fiunt,
vel negotio accedunt, ipsi actui inesse intelligantur. Denique id
etiam probe notandum est, ius electionis debitori competens, ad
illum casum restrictum esse, quando ipsem solvit: quoties vero ex
pignore a creditore vendito pecunia redacta est, semper ad creditorem
distrahentem electio pertinet, quae ipsi expresse a lege *n)* tribuitur.
Cuius differentiae ratio sine dubio fundatur in facultate retinendi
pignus creditor i etiam a legibus concessa. *o)*

§. 8.

Indeterminate facta a debitore partis praestatione, ius eligendi
ad creditorem transfire voluerunt leges supra iam allegatae. Attamen
hoc eiusdem arbitrium in favorem debitorum anterioribus circumscrip-
tum est limitibus; neutquam enim ipsi permittitur, pro libitu de-
terminare, in quam causam solutum accepto ferre velit, sed in hac
sua electione, officium boni viri sequi, atque in eam causam accipere
debet, ex qua se ipsum soluturum fuisse, probabile videri possit. Seu,
ut verbis legis utar, in id creditor constituat solutum, in quod ipse,
si deberet, esset soluturus, et quo debito se exoneratus esset, si de-
beret. Haec ita in utilitatem debitoris, ne alias suum solummodo

commodum sit, nullum id videtur a modo delinq. commo-
m) L. 3. *D.* de solut.

n) L. 73. *D.* de solut.

o) L. 14. §. 1. de pign. L. unic. C. etiam ob chirogr. pec. pign.
teneri posse.

commodum cum maximo illius dispendio respiciat creditor, constituta esse quis non videt, prout quoque verba legis: *aequissimum enim visum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret p)* idem quam luculentissime evincunt. Hoc suum officium boni viri in eligendo nunquam non diligentissime observare debet, easque diversorum debitorum qualitates attendere, ad quas respiciendas esse leges praecipiunt. Cave tamen putes, inanem propterea esse hanc facultatem eligendi creditoribus concessam, quasi, indistincte facta solutione, omnia ex qualitatibus nominum per leges accurate praescriptis desiniantur. Plura nihilominus restant, quae omnino libero eius arbitrio relicta sunt. Sic facilius casus existere possunt, in quibus non satis liquet, quinam illorum durior sit altero, et unde maior in alterum redundet utilitas; certe tum nihil aliud a creditore exspectari poterit, quam ut bona fide, nec cum maximo debitoris incommmodo suum unice respiciat commodum. Pari ratione id quoque haud raro evinire solet, solutionem in unam eandemque causam creditor i maxime proficuum esse, debitori contra non damnosam. Sic v. c. si solutio facta sit ei, qui et suo, et procuratorio nomine exactionem habebat, nec a solvente expressum fuerit, qua ex causa solutum voluerit, accipiens in dubio suum potius, quam alienum debitum acceptisse censemur, sibique vigilasse; eodem modo, quo quisque magis quod proprio, quam quod alieno nomine debet, solvisse intelligitur. q) Denique nec illud omitti debet, effectum huius iuris eligendi ad creditorem pertinentis satis clare se exserere ubi nulla adest differentia legalis inter nomina, sed par est causa eorum. Creditor nempe suo iure

p) L. 1. de solut.

q) Ita sentit Voetius comment. ad D. Tit. de solut. §. 16.

iure utens, determinat tunc, in quam causam accepto ferendum sit solutum, quod nisi ab eo factum fuisset, ex omnibus summis proportione solutum videretur. r) *De iuris de solutio*
§. 9. *bull. mino Aboru. citerius*

Movetur hic interdum quaestio, olim saepius inter Doctores agitata, quousque creditor sibi servare possit dictum ius eligendi; alii statim illud exprimere dicunt, simul ac ille statim post factam solutionem non determinat, quoniam solutum sit debitum; alii e contrario defendant, usque ad mortem suam ipsi hanc facultatem esse tribuendam. Iuxta hanc posteriorem sententiam, mortuo deinde creditore, ad legum praesumptiones provocari posset; immo eo usque hoc valere nonnulli affirmant, ut, reservato hoc iure eligendi etiam in novam caussam cedere queat solutum iuxta arbitrium creditoris. Sed huic sententiae calculum meum adiicere non possum. Certe leges ubique magis debitori quam creditori favent, nec in hoc passu exceptio ab hac regula doceri potest. Leges luculenter contrarium docent s) et volunt, hoc respectu parem esse debere conditionem utriusque partis. Quae ergo supra de debitore caussam determinante dicta sunt, eadem hic quoque de creditore eligente repetenda erunt. Neque hoc silentio est praeterendum, defendere quosdam, creditori ius plane liberum et illimitatum concedi debere exprimendi, in quam caussam pecuniam acceptam velit, etiam in eam, quae illi est commodior, et si alia esset lenior debitori t). Facile vident qui ita sentiunt, sibi adversari let

r) L. 8. D. de solut.

s) L. 2. D. de solut.

t) Id cum multis aliis defendant Hugo Donellus ad L. 1. C. de solut.

et Zanger de exceptionibus Parte III. Cap. 1. num. 238.

ges u) quae praecipiunt, creditorem in id constituere debere solutum; in quod ipse, si deberet, esset soluturus. Huic ut occurrant dubio, probe distingueda esse tempora contendunt, quibus a creditore sit determinatio; quodsi enim illud statim post factam solutionem ab ipso fieret, nullis omnino limitibus hoc ius electionis circumscribi volunt, contra vero restrictionem adesse concedunt, si demum ex intervallo, post perfectam solutionem, suo iure utatur, et de hoc posteriori casu unice solummodo accipienda esse verba legis obstantia. Verum enim vero, quantum ego quidem sentio, ita statuentes vim inferunt legibus, quae generaliter loquuntur, et diversos illos casus, quos hic a se invicem distinguendos esse defendant, prorsus ignorant. Nec minus huius sententiae refragatur, ni fallor, ratio legis, creditoris ius in eligendo restringentis; quaerenda est illa in favore debitorum, quorum ergo commodum in re agenda non minus, quam ex post, est attendendum. Sin autem vera essent, quae a dissentientibus proferuntur, omni casu in potestate creditoris positum foret, debitorem incautum, qui legem solutionis factae non praescriptis, opprimere, nec certe creditor negligeret hanc sibi datam commodam occasionem, sed statim causam determinaret solutionis. Denique, si dicendum quod res est, haec opinio legibus planè est contraria. Creditori enim, ut supra dictum, ius electionis unice relictum est in ipso solutionis actu et paululum post, non ex longiori intervallo; sponte hinc fluit, effluxo hoc temporis spatio in favorem creditoris determinato, illius arbitrio nil omnino esse relictum, sed omnia statim iuxta presumtiones et determinationes legum esse determinanda. Firma ergo stat sententia legibus suffulta, limites creditoris praescriptos ad illum casum omnino pertinet.

u) L. 1. 2. et 3. D. de solut.

pertinere, quo statim, facta solutione, mentem suam declarat. Graviores inde pendent effectus, id quod exemplo illustrare liceat. Existunt plura nomina Caii apud Titium, alia usurifera, alia non usurifera. Solvit summam debitor, causam vero non nominat; jam creditor ius electionis exercere vult, quod in legibus ei est datum. Secundum ea, quae proposui, creditor solutum imputare debet in eam causam, ex qua ipsi usurae debentur; nec non idem est praesumendum, licet nulla subsecuta sit electio. Longe alia ratione res forte se haberet, si vera essent, quae ab adversa parte urgentur. Nam creditor verosimiliter elegisset debitum non usuriferum, prout etiam praesumendus est, tardius exegisse foeneratitium creditum. Quod postterius adeo verum est, ut vel inde conjecturam repeatant, *v) illum*, qui in exigendis ipsis nominibus usuriferis rigorosam et exactam diligentiam adhibuerit, multo magis in non usuriferis similem rigorem adhibuisse;

dass die Wiederabforderung der Zinsen tragenden Gelder die praesumtion mache, dass die, so nicht Zinsen tragen, viel chender gefordert und abgetragen seyn müssen.

§. 10.

Iam ad tertium casum, qui hic existere potest, devenio, quando felicet quis alteri plures summas principales debet, et neuter in actu solutionis voluntatem suam expressit. Haud raro hoc accidere solet, quo existente casu, quaefcio in quam causam solutum accipendum sit, interdum post mortem demum vel debitoris vel creditoris inter heredes ventilatur. Recurrentum tum erit ad conjecturas vel praesumptiones, quid quisque debitor solvere voluerit, aut potius velle debuerit a

oditq. illi xz autq. non accep. C. 2 ad. Rorid. f. 10. legibus
v) Harprecht Diss. de solutione conjecturata §. 15, quae est inter eius
dispp. academicas Vol. II. num. 64. pag. 903.

legibus suppeditatas. Generale quod hic iura nostra supponunt principium iterum est favor debitorum, ad quem ita respiciendum definit, ut absolutum id intelligatur debitum, quod debitorem allevat, hinc a creditore debitum accipendum fuerit in illam causam, quae durior, vel gravior erat, hoc est, quae magis urgens erat debitori. Haec, quae modo dixi, satis commonstrant, hanc gravitatem neutram ex maiori quantitate debita diiudicandam esse, quod forte unum debitum maiorem summain continet altero; sed potius ipsam qualitatem causae, quae aggravat obligationem, unice in censu venire.

Patet hinc, secundum varias nominum qualitates, definiendum esse, quod in casu obvio praecise sit solutum, quare iam paululum accuratius dispiciendum est, quanam causae potiores sint reliquis, et quo ordine se invicem excipient. Non satis accurate haec omnia in legibus nostris determinata invenimus. Hae diversae causarum qualitates efficiunt, inter plures causas graves, unam altera interdum esse graviorem, immo gravissimam. Quare tres potissimum gradus illarum statui solent, quos in iure romano occurrere Doctores observant. Diligenter etiam notari hic meretur, interdum unam causam pluribus modis graviorem fieri posse, ita, ut propter ea mox ad hunc, mox ad alium gradum referri debeat. Denique neque hoc omittendum est, varia debitorum genera prorsus ex numero gravium causarum eliminanda esse, quia debitorem non urgent. De his primo loco pauciora adferam. Ad numerum illorum referenda sunt.

1) debita adhuc controversa et illiquida. Nihil exinde metuendum est debitori obaerato, quum non prius ex illis petitio concedenda sit, quam eo nomine iudicio vinctus est atque condemnatus.

2) ex

2) ex identitate rationis pertinent huc quae in diem vel sub conditione debentur. Quamdiu enim dies nondum existit, aut conditio nondum est adimpta, exigē ista nequeunt.

3) eiusdem denique conditionis est, quod naturaliter tantum debetur, cuius autem praestandi nulla datur necessitas civilis, nec ulla prodata est actio.

De omnibus debitibus, quae huius generis sunt, valebit dictum Maeciani I Ct: *quum ex pluribus causis debitor pecuniam solvit, Julianus elegantissime putat, ex ea causa eum soluisse videri debere, ex qua tunc, quum solvebat, compelli poterit ad solutionem.* w)

§. 12.

Propius iam accedimus ad tres illos gradus, qui iuxta Paulum x) inter causas debitorem gravantes observari possunt, quorum intuitus tamen docet, nonnulla hic esse arbitraria, nec completam enumera-

C 3

w) L. 103. D. de solut. add. L. 1. et 3. eod.

x) in L. 97. D. de solut. quem textum hic inserere iuvabit. *Quum, ita verba sunt concepta, ex pluribus causis debitor pecuniam solvit, utriusque demonstratione cessante, potior habebitur causa eius pecuniae, quae sub infamia debetur: mox eius, quae poenam continet: tertio quae sub hypotheca vel pignore contracta est: post bunc ordinem potior habebitur propria, quam aliena causa, veluti fideiussoris, quod veteres ideo definierunt, quod verisimile vide- retur, diligentem debitorem admonitu ita negotium suum gesturum fuisse. Si nihil eorum interveniat, vetustior contractus ante sol- vetur. Si maior pecunia numerata sit, quam ratio singulorum exposcit, nihilominus primo contractu soluto, qui potior erit, superfluum ordini secundo vel in totum vel pro parte minuendo videbitur datum.*

tionem omnium causarum, quae huc referri debent, inveniri. Inter causas gravissimas, hinc ad primum gradum referandas, primum haud immerito locum occupat illa, in qua dilatio damnum aliquod *famae* infert. Sine dubio Jureconsultus potissimum hic innuit actiones, ex quibus damnatus notam infamiae incurrit. Quoties enim in illis iudiciis, in quibus infamia non, nisi per sententiam infligitur, et quorsum actiones pro socio, tutelae, mandati, et depositi pertinent, debitum offertur, ante litiscontestationem, vel saltem ante sententiam latam, hoc ipso evitatur infamia, quia hac ratione omnia iudicia absolutoria sunt y). Sunt, qui haec omnia hodie exulare putant, negantes cum Voetio z) infames esse apud nos iudiciis tutelae, mandati, depositi et pro socio ob dolum condemnatos. Sed lubens licet concederim, iudicem sapientius leniorem esse in iudiciis civilibus; et, nisi atrocitas circumstantiarum obstat, non facile infamiam inurere, quare saepius quoque accidere solet, ut, graviori per sententiam imposita poena, famam condemnati expresse reservet: attamen hanc dispositionem iuris communis prorsus esse sublatam, nisi forsitan hinc inde statutis hoc nominatim expressum sit, validis rationibus evinci nequit.

§. 13.

Forte quis dixerit, superesse adhuc aliam longe graviorem causam, quae scilicet vitam hominis concernit; provocari enim hoc nomine solet ad L. I. D. de poen. eor. qui mort. sibi consc. Ignoscendum omnino esse censuerunt principes ei, qui sanguinem suum qualiter

qua-

y) §. ult. I. de perpetnis et temporal. action.

z) comment. ad D. lib. 3. tit. 2. §. 9. qui tamen forte de Belgio in primis loquitur, prouti ex allegatis concludere licet, quamvis nimis generaliter se exprimat.

qualiter redemptum voluerunt per pecuniam. Recle ita, quatenus scilicet de capitalibus caussis sermo est, in quibus reo non nocet, quod adversarium corruperit, sed potius reus, si decesserit corrupto accusatore, propterea pro convicto non est habendus. Longe autem aliud dicendum est de obligationibus sub poena amissionis membrorum vel vitae contractis, quas improbat ius romanum, idque recte, quin nemo membrorum suorum dominus, sed solummodo usq[ue]arius existat. Evidem maioribus nostris tale quid olim placuisse constat, qui pro sancte conservanda fide data perfidum debitorem ita punire non dubitabant, ideoque in casu non servatae fidei creditor ius concesserunt in corpus et vitam, multo magis in famam debitoris, quia a promissis suis non steterat. Diu quoque haec ita servata esse in Germania docent tot exempla constitutionum in collectionibus legum veterium germanicarum passim obvenientium, nec non totalia documenta a Doctoribus conservata. aa). Attamen omnia pacta huius generis iam dudum reprobarunt leges tum imperii tum provinciales, idque recte. Maiori iure hue quodammodo referri possunt obligationes ad operas praestandas, vel ad careerem subeundum, vel ad obstagium in casu non faciae iusto tempore solutionis, a debitoribus contractae. Nil vitiij habent huiusmodi conventiones, hinc in quibusdam terris tolerantur, in aliis per expressas leges confirmantur et servantur: dummodo omnia iudicis sub auctoritate peragantur, bb)

§. 14.

aa) Maxime notatu digna sunt, quae de prava hac olim obtinente consuetudine leguntur apud *de Cramerum* in den wezlarschen Nebenstunden Theil 77. num. 4. et *Manzelium* in den Büzowschen Ruhestunden Theil 25. pag. 20.

bb) Plura notatu digniora hac de re legi possunt apud Petr. Müllerum Diss. de obligatione sub infamia, bey Schelme schelten. Sect. in prim. 2. 3 et 4.

§. 14.

Quod hactenus illustravi proxime excipit debitum poenae, sive quod poenam continet. Plura huc merito referuntur debita, alia enim infestatione crescunt, alia sunt usuraria, alia denique poenam secum coniunctam habent in contractu definitam, seu conventionalem. Recte hinc Ulpianus *cc*) de debitis poenae agens, mentionem quoque iniicit debiti ex causa iudicati, quod Paulus sub generali denominatione causarum quae poenam continent, simul comprehendisse dicendus est. Quare huic debito hic locum assignare nulli dubitamus; in primis cum ex duplice ratione causa iudicati gravior dici queat. Qui enim placitis post legitimum tempus non obtemperaverat, non solum usuram centesimam temporis, quod postea duxit, solvere obligatus erat, ita tamen, ut istae centesimae usurae tantummodo fortis rationem haberent, non vero usuraru[m], quae forte ex pristino contractu residuae erant, ne contra iuris praeceptum usurae usurarum petantur; sed quoque, id quod hodie adhuc obtinet, causa iudicati, pignoribus captis et distractis ad emolumentum perdugitur *dd*). Hinc causa iudicati hoc respectu, quia ex illa bona debitoris capiuntur et distrahitur, gravior merito habenda est, quamvis poenalis non amplius dici possit. Ceterum quod debita poenalia speciatim concernit, noto notius est, soluto debito principali, poenam exigi non posse, contra vero, quod in poenam tardae solutionis aut delicti exactum est, lucro cedere creditoris *ee*).

§. 15.

cc) L. 7. de solut.

dd) L. 1. et 3. C. de usur. rei iudic. L. 2. C. de execut. rei iudic.

ee) L. 10. §. 1. de paet. L. 28. de act. emt. L. 6. de locat. L. 79. de furt.

Itidem ad hanc classem iure meritique referendus est contractus mutui sub hac conditione initus, ut solitae quincunces usurae a debitorum solvantur, eodem autem in mora existente, semisses a creditore exigi queant. Notata sunt digniora, quae de introductis olim in Megapoli in comitiis provincialibus, usutis semissalibus poenae loco in casum morae a debitoribus solvendis adnotavit b. Manzelius ff) dasferne, ita scribit, sie (die Schuldner) aber nicht in die Antonii, oder auf den sonst verschiebenen und beliebten Termin praecise inhielten, und die Zinse 5 procent entrichteten, sie also fort ipso facto in die 6 procent verfallen seyn solten, und darauf in allen Gerichten die executiones erkennet und in keinen Gerichten einige exceptiones darwider admittirt werden sollen. Quae omnia hodie adhuc in praxi observari discimus ex Petill. Dn. Vice-Directoris Consistorii Ducalis Martini observatione vom sechsten Zinsthaler, quae statis literis fuerinenibus den gelehrten Beyträgen zu den mecklenburg-schwerinschen Anzeigen und Nachrichten est inserta. Haud incongrue quoque huic speciei caussarum annumeratur pactum, quo in casum morae usurae stipulantur crescentes, quas vulgo Rutscher-Zinsen vocare solemus, et quae forte hinc inde adhuc in usu sunt. Denique generaliter dicendum est, debitum usurarium hoc nomine preferendum esse non usurariis, ita, ut indeterminate solutum in illud imputari debeat. Non quidem ignoro, dubia contra hanc alias in iure satis fundatam sententiam moveri, sed corrunt illa subnotando, per pactum expresse ita initum omnino aliud inter partes constitui posse. Conser-

tientem
ff) In iuge mecklenburgico illustrato. Cent. 3, iud. 61.
D.

tientem hic habeo Leyserum gg) ita se exprimentem: *Duplicem quis
fortem debet, antiquorem sub quincuncibus, posteriorem sub semis-
fibus usuris.* Solvitur aliquid. Imputandum hoc erat in posterio-
rem tanquam duriorem sortem. Obiiciebatur tamen L. 89. §. 2.
de solut. Sed ea lex singularem casum continet, quo scilicet debitor
pactus erat, se, quod sub usuris levioribus debeat, prius soluturum.
Ergo extra hunc casum in regula manemus, magisque duritiem, quam
antiquitatem debiti spectamus hh). Cave autem putes, quantitatem
causarum hic respiciendam esse, sola qualitas aggravans obligationem
attendi meretur, caussamque efficit graviorem; quod clare fatis deci-
sum legimus in L. 104. de regul. iur. ubi ita: *Si in duabus actioni-
bus alibi summa maior, alibi infamia est, praeponenda est causa
exemptionis; ubi autem aequivarant famosa iudicia, et si summam
imparem habent, pro paribus accipienda sunt.*

§. 16.

Tertio loco tanquam caussa gravior in lege saepius iam adducta
97 de solut. memoratur illa, quae sub hypotheca vel pignore con-
tracta est. Ratio erit in promptu: regulariter etenim res pignoris loco
traditae sunt maioris pretii, et distractio earum plerumque cum magno
debitoris damno est coniuncta, qui ergo graviori afficeretur calamitate,
quam per solutionem iusto tempore factam evitare valet. Cum hoc
debito hypothecario recte comparari solet aliud, quod datis fideiussi-
ribus

gg) Med. ad D. Spec. 528. Med. 7. in fine.

hh) Alii tamen aliter legem allegatam 89. §. 2. explicare student, veluti
Hartm. Pistor l. c. et ibidem citatus Bartolus.

ribus est contractum *ii)* licet non eadem hic, sed diversa ratio subsit, cur in catalogum causarum debitorem gravantium sit referendum. Merito hinc quaeritur, quanam sit illa ratio vera ac genuina, in primis cum in alleganda ea non omnino consentiant Doctores. Plures in eo rationem huius ordinis introduchi se inventisse afferunt, quod ille qui fideiussores dedit, etiam illos iuxta se implicuerit, quos si simul cum se ipso in ruinam, vel gravem iacturam immergeat conscientiam simul et existimationem suam haud leviter vulneret *kk)*. Alii autem cum maiori veritatis specie, uti ego quidem puto, ad molestiam provocant, quae a pluribus creditoribus imminere solet, quoties quis alterius debitor, aecidente simul fideiussione tertii cuiusdam exsilit. Longe alia, immo inversa ratione se res habet, quoties quis et suo et fideiussorio nomine debet *ll)*. Vero enim est simile, diligentem debitorem ita negotium gesturum fuisse, prout etiam rationi naturali consentaneum est, quod quis voluerit rebus suis potius consulere, et negotium proprium agere, quam alienum. Diligenter hic quoque monemus, in caso praesenti itidem non attendendum esse, num forte alienum debitum fideiussorum, antiquius sit proprio. Ceterum recte a Mevio *mm)* est notatum, hoc non sic cautum esse, ut, quum de iure quaestio est, iustius sit suo tantum creditor, aut prius solvere quam alieno, cui fidem dedit. Inter hos, quibus in re anterius nihil constitutum est.

D 2 C. 4. r. I. secundum n. 10. §. 17.

ii) L. 4. de Solut.

kk) Harprecht Consil. Tubing. Volumen novum P. II. Conf. 97. ibique largo numero cit.

ll) L. 2. 3. et 97. de solut.

mm) Part. I. dec. 76. num. 4.

§. 17. *(i) mifommoſſa ſlonda
maba* Porro si nulla haſtenus memorata qualitas in debitibus exiſtentibus pluribus invenitur, recurrentum eſt proxime ad instrumentum, ex quo alteri debetur. Praeferri hinc omnino debet debitum, quod fundatur in instrumento ſic dicto guarentigato, quod paratam fecum coniunctam habet executionem, hinc magis debitorem urget. Huius generis debito quoque deficiente temporis ratio habenda eſt, ita, ut antiquius debitum prius ſolvatur, quam quod noviori tempore contractum eſt *nn*). Probe tamen hic notemus, antiquius in hac materia non illud dici poſſe, quod respectu temporis celebrati contractus prius altero existens fuit, ſed unice ad tempus ſolvendae ſolutionis reſpici debere. Tandem ſi per dierum et contractuum ratio eſt et cauſa, ex omnibus pro portione videtur ſolutum *oo*), ita ut in quamlibet cauſam pro rata ſolutio fit referenda. Haec ſunt quae pro viribus meis, de hac aīdua materia proponere volui. Coronidis loco quae-dam addam ex rationibus ſententiae, ante aliquot annos ab inclita fa-cultate iuridica roſtochienſi latae, in cauſa B. contra S., quae illustrationi uberiori inservire poſſunt. Sequentem in modum ſunt conceptae. Demnächst auch bey unbestimten Zahlungen, in des Gläubigers Will-kühr verſteilt iſt, auf welche Schuld er das erhaltene Geld abrechnen wollte, wenn er es nur in diuiorem cauſam und auf ſolche Pöſte ab-rechne, die er ſelbst würde abgetragen haben, wenn er der Schuldner geweſen waere. L. 1. 3. D. deſolut. Nun wird aber ein jeder Schuldner am liebſten ſeine curante Buch- und Waaren-Rechnung abſtufen, damit er ſtets neuen Credit habe, dagegen wird er wegen Wech-

nn) L. 5. et 97. de ſolut.

oo) L. 8. et 97. in fin. de ſolut.

Wechsel - und verbürgte Schulden, besonders wenn sie noch nicht gekündigt oder sonst fällig sind, weniger besorgt seyn. Es mögte daher das Ansehen gewinnen, dass auch dem verstorbenen B. frey-
gesländen hätte, die von S. erhaltene baare Gelder, eben so gut, als die erhaltenen Producte, auf seine unverbürgte Pöste abzurechnen und die durch die Verbürgung gesicherte Forderung zu-
letzt als ungetilgt anzurechnen. Allein so stehen dieser Behauptung deutliche Gesetze entgegen. Denn so ist in den L. i. 4 et 73. D.
de solut. klar verordnet worden, dass verbürgte Schuldpöste einen Vorzug vor andern in solchen Fällen haben sollten, wenn der Schuldner nicht ausdrücklich ein andres bei Abtragung eines Posten-Geldes bestimt habe. Die Worte der vorangezogenen drei Gesetze: aut in illud, quod pro alio quis fideiussrat: et potius quod satisdatur, quam quod sine satisdatione debeo: id potius soluturum existimetur, quod satisdato debeat, lassen hierüber keinen Zweifei übrig. Ein gleiches gilt auch von der Verfallzeit des eingeklagten Rückstandes, welche ohnfehlbar auch schon seit der Zeit vorhanden gewesen, dass die Kündigungsfrist verflossen und die erste Hälfte des Wechsels abgetragen gewesen. Dass dergleichen Pöste in vorzüglicher Abrechnung kommen sollen, bestimt die angezogene L. i. D. de solut. ebenfalls in den Worten: cuius dies nondum venerat. Mit Fleiss haben wir deshalb auch die Eidesformel auf den Zeitpunkt eingeschränkt, worin der jetzt eingeklagte Rest der 250 Rthlr. fällig gewesen. Auf diese Verfallzeit ist auch um so mehr zu achten, als die übrige Buch-
schuld womit S. dem B. verhaftet gewesen, in der Regel erst beym Jahreschluss zahlbar zu seyn pfleget, deshalb auch während diesen Jahreslaufs alle von S. geleistete baare Geldzahlungen, welche von ihm

ihm nicht ausdrücklich auf andre Pöste bestimt gewesen, auf den Wechselrückstand seit dessen Verfallzeit hätten abgerechnet werden sollen. Was dagegen an Producten von S. an B. geliefert worden, ohne dass dabei eine ausdrückliche Bestimmung, worauf die Lieferung abgerechnet werden solle, erfolgt wäre, ist füglicher des Creditoris Willkür zu überlassen gewesen, indem dergleichen compensationes willkürlicher sind, als wirkliche baare Geldzahlungen. In Pufendorff Obs. P. 2. O. 175. §. 2.

T A N T U M.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002553687/phys_0035](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687/phys_0035)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002553687/phys_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687/phys_0036)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1002553687/phys_0037](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002553687/phys_0037)

DFG



verbürgte Schulden, besonders wenn sie noch nicht er sonst fällig sind, weniger besorgt seyn. Es mögte stehen gewinnen, dass auch dem verstorbenen B. freyete, die von S. erhaltene baare Gelder, eben so erhaltenen Producte, auf seine unverbürgte Pöste und die durch die Verbürgung gesicherte Forderung zufügt anzurechnen. Allein so stehen dieser Behauptung setze entgegen. Denn so ist in den L. 1. 4 et 73. D. verordnet worden, dass verbürgte Schuld pöste einen andern in solchen Fällen haben sollten, wenn der Schuld drücklich ein andres bei Abtragung eines Posten-Geldes

Die Worte der vorangezogenen drei Gesetze: aut in ro alio quis fideiussorat: et potius quod satisdatur, quam isdatione debeo: id potius solutum existimetur, quodatur, lassen hierüber keinen Zweifel übrig. Ein gleich von der Verfallzeit des eingeklagten Rückstandes, welcher auch schon seit der Zeit vorhanden gewesen, dass die ist verflossen und die erste Hälfte des Wechsels abgetra-

Dass dergleichen Pöste in vorzüglicher Abrechnung en, bestimmt die angezogene L. 1. D. de solut. ebenfalls en: cuius dies nondum venerat. Mit Fleiss haben wir die Eidesformel auf den Zeitpunkt eingefchränkt, wor eingeklagte Rest der 250 Rthlr. fällig gewesen. Auf zeit ist auch um so mehr zu achten, als die übrige Buchit S. dem B. verhaftet gewesen, in der Regel erst beym zahlbar zu seyn pfleget, deshalb auch während diesen lle von S. geleistete baare Geldzahlungen, welche von ihm

